

www.e-rara.ch

Sibylliakoi Chrēsmoi ... =

Opsopäus, Johannes

Amstelodami, 1689

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-10751>

Clarissimo viro Jacobo August. Thuano Aimerio, sanctioris consistorii consiliario, & supremi Galliarum senatus integerrimo praesidi, Societas Typographica Parisiensis S. D.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CLARISSIMO VIRO
JACOBO AUGUST. THUANO AIME-
RIO, SANCTORIS CONSISTORII
Consiliario, & supremi Galliarum Senatus integerrimo
Præfidi, Societas Typographica Parisiensis S. D.

NEMO est qui nesciat (Vir clarissime) quantis bellorum fluctibus
& procellis hæcenus agitata fuerit hoc quondam florentissimum Gal-
liæ regnum, quamque miserabiliter afflicta hæc urbs, & intestinis malis
quassata formam plane pristinam amiserit. Unde accidit, ut Parisiensis Aca-
demia, quæ olim cæteris tanquam fax clarissima præfulgebat, diu oppressa
infelix jacuerit, atque in deterrimum statum omnibusque miserandam condi-
tionem adducta sit, ita ut eam pene extinctam diceres. Verùm tandem aliquan-
do Dei Opt. Max. benignitate singulari, strenuaque augustissimi & invictissi-
mi principis HENRICI IV. opera & admirabili virtute effectum est,
ut præter spem isti bellorum æstus & tempestates conquieverint, & nobis nihil
tale sperare audentibus letissima Pacis Sol affulserit. Quo felici rerum eventu
maximopere recreati sunt boni omnes, & extemplo tristem præteritorum tem-
porum & malorum memoriam abjecerunt, confestimque omne suum studium
curamque omnem in eo collocarunt, ut huic amplissime civitati, quam civiles
discordiæ paucorum amorum curriculo pene perdididerant, pristinus splendor
quamprimum restitueretur. Et quoniam, ut quodam loco scribit Cicero nullum
munus Reipub. afferre majus meliusve possumus, quàm si doceamus atque eru-
diamus juventutem, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita pro-
lapsa est, ut omnium opibus refrænanda atque coercenda sit: ideoque Rex Chri-
stianissimus prudentissimè statuit è consilii sui sententia, ut in hac urbe scholæ
& gymnasia instaurarentur, & Academia ad legitimum germanæ formæ
exemplum reformaretur. Cui rei tam necessariæ exequendæ, viros aliquot
præstantes, omnique laude insignes, teque inter cæteros, Præses integerrime,
delegit, quibus hæc provincia demandaretur. At verò id jam præstitisti, ut
in plerisque gymnasiis disciplinæ cujusque certi doctores artium professioni sue
commissarum prælectiones & exercitationes via & tempore definitas, officio,
fide, & diligentia tueantur. Quæ res facit, ut nos spes teneat optima, brevi
hanc Academiam, quantum detrimenti, incommodi, & calamitatis à civili
bello tulit, tantos à virtute & industria vestra, atque adeo majores fructus,
Deo annuente, esse percepturam. Et sane studiosi omnes huic eximio operi per-
ficiendo omne studium, omnesque vigilias, & labores suos addicunt: & ne

E P I S T O L A.

quid hac in re à nobis desideraretur, qui libris excudendis, & evulgandis jamdudum operam damus, nuper inter nos Societatem Typographicam ante decennium initam & inchoatam, sed bellorum turbine dissolutam renovavimus, & dissipatam redintegravimus, nobisque est animus in posterum, rei literariæ, quantum in nobis situm erit, prodesse, & eo omnes nostras curas & facultates conferre. Utque hujusce nostri instituti & consilii specimen aliquot ederemus, librum hunc Sibyllinorum Oraculorum titulo insignem, à Joan. Opsopæo viro eruditissimo undequaque collectum & notis illustratum typis mandari curavimus, eumque tibi nunc inscribimus & nuncupamus. Multæ nos impellunt causæ, ut hæc laborum nostrorum primitiæ sub Augusti nominis tui splendore edantur & appareant, quarum duas hic recensere satis erit. Primum, quia omnibus iis artibus & disciplinis ornatus, & scientiis abundè instructus es à teneris annis, quæ liberales vocantur, & unus optimè nostri non Latina tantum, sed etiam Græciæ monumenta omnia, quod cumulatissimè libri à te conscripti testantur, & nunc arcem tenes omnis doctrinæ & eruditionis, unde maximo tuo merito ab Augustissimo Principe tibi potissimum cura est commissa restituendæ Academiæ. Altera ratio est, quia tu Opsopæum ipsum, dum viveret, ut & literatos omnes, singulari benevolentia es prosecutus, eique Procopii codicem Græcum legendum dedisti, quo in hoc libro concinnando se esse usum profiteretur, & ea de causa librum hunc tanquam aliqua ex parte tuum jure potes vindicare. Superest, Vir ornatissime, ut pro eximia tua humanitate munus hoc nostrum qualecunque libenter accipias, & grati in te animi specimen boni consulas, ac demum utilitatis publicæ studium probes, & ea, quæ erga invictissimum Regem vales auctoritate efficias, ut is secundùm Deum nostris conatibus adsit propitius, & beneficia seu privilegia, quæ nobis à cæteris Regibus jampridem concessa sunt, sarta tecta esse jubeat. Bene vale. Lutetiæ Parisiorum Idib. Septemb. anno à Christo nato quingentesimo nonagesimo nono supra millesimum.